



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 26. Scripta Cardinalis Bennonis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI.
A.C. 1085.

Martyr. Ro
25. Maji.

tum invenit, & Epitaphium composuit. Anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto ejus Nomen Martyrologio Romano jussu Gregorii Papæ XIII. emendato insertum, & tandem Paulus V. Papa, data Bulla, anno millesimo sexcentesimo nono, Gregorium tanquam Sanctum officio publico colendi licentiam Capitulo Salernitano concessit.

§. XXVI.

Scripta Cardinalis Bennonis.

Fascic. rer.
ex petend.
fol. 39.

Quæ Schismatici de hoc Pontifice in vulgus sparserint, ex Scriptis Bennonis Archipresbyteri Cardinalis, qui Guiberti Antipapæ partes sectabatur, docemur. Duas edidit epistolas tanto felle exaratas, ut vera a mendaciis discerni difficulter possint. Epistolæ primæ initio Benno membra Romanæ Ecclesiæ enumerat, quæ ab Hildebrando defecerant, & nominat decem Cardinales, Primicerium Cantorum, & complures præfectos, cohortesque, quibus præerant. In altera epistola recenset Cardinales tredecim. Tum ad ea progreditur, quæ Hildebrando exprobrare audebat. Ejus Electionem affirmat fuisse illegitimam, quod eadem die, qua Alexander ejus Antecessor mortali vita functus esset, proclamatus fuisset, non obstante, quod legibus Ecclesiasticis cautum

tum esset, ne alius Papa eligeretur ante Sæculum XI. triduum, post exequias mortui Pontificis elapsam. *Cardinales*, inquit, *a suis consiliis removit, & a familia exclusit*, quamvis *Canones præcipiant, ut Papa semper Cardinales Presbyteros tres & Diaconos duos, testes vitæ suæ, admittat.*

*Imperatorem excommunicavit, invitatis Cardinalibus, non servato Judicii ordine, in nullo Concilio Canonice accusatum, cui Censuræ Cardinalium nullus subscripsit. Illo momento, quo se erexit, excommunicationis sententiam in Regem prolaturus, ejus Cathedra, licet esset nova & ex ligno firmissimo compacta, media crepuit, & Deo ita ordinante dissiliit, quo Schisma ex hac excommunicatione nasciturum portenderetur. His Benno addit: Feria II. Paschali, cum in Basilica S. Petri Sacris operaretur, perlecto Evangelio suggestum conscendit & publice dixit, Regem Henricum ad Festum S. Petri moriturum, aut certe fore ut Regno pellere-
tur, & ne quidem sex Equites sibi in præsidium colligere posset, adjiciens: Papa non sim! si hoc vaticinium effectu careat. Tempore, quod præstituerat, elapso, cum Rex valeret, nec minor esset quam prius, ipsius potentia, rudi & simplici plebi persuasit, sibi de morte animæ non vero corporis sermonem fuisse. Benno deinde*

Sæculum XI
A.C. 1085.

primam epistolam claudit narratione sequentis historiæ.

Quadam die Albano Romam pergens (de Hildebrando continuo loquitur) oblitus est accipere librum, Necromantia arcana continentem, sine quo raro iter faciebat; hujus igitur in via memor, ubi Laterani limen attigit, duos familiares, fidissimos quoties scelus imperabat ministros, vocat, & librum illum celeriter ad se afferre jubet, adjiciens terribiles minas, ne eum in via aperirent, aut cupiditate, sciendi quæ inessent, vinci se paterentur. Illi tanta prohibentis sollicitudine eo magis accensi in reditu volumen solvunt & aliquot paginas recitant. Mirabile dictu! illico mille Dæmones horrenda specie conspicui ambos juvenes suo occursum tantum terrorem incutiunt, ut mens excideret, & pæne spiritus deficeret. Instabant pavidis larvæ infernales: cur nos vocastis? cur nos venire & fatigari compulistis? cito edicite, quod obsequium a nobis petatis. Secus in vos ipsos insiliemus, si amplius nos moramini. Juvenum alter, mænium civitatis Romanæ partem digito monstrans, ait: protinus hos muros diruite. Eosque uno momento Dæmones solo æquarunt. Juvenes signo crucis se muniebant, trepidisque & anbelis vix satis virium superfuit, ut Romam pervenirent. Lectoris prudentis judicium

cium esto, an fide dignus sit Scriptor, Sæculum XI.
 qui aniles fabulas tanquam res serias A.C. 1085.
 venditat.

Initio secundæ Epistolæ Benno easdem ac in prima contra excommunicationem Regis Henrici querelas repetit, & illa S. Augustini verba adducit, ex *Serm. 351.* Sermone de pœnitentia: *Satis ostendit olim hom. 50. Apostolus, non leviter, sed instituto iudicio* ^{10.} *impios a communione Ecclesiæ esse excludendos, & si in forma iudicii separari non possint, potius tolerandos esse; ne qui temere malos devitat, prius quam illi, quos fugere vult, ad Inferni tormenta descendat.* Tum Hildebrandum reprehendit, quod ab excommunicationis Censura illos exceperit, qui in tertio gradu cum excommunicatis communicarent. Præterea affirmat, nullum esse Baptismum ab excommunicatis collatum. Quod dicere hæresis est.

Deinde dicit Benno, Hildebrandum *Sup. lib.* Magiam didicisse a Theophylacto, qui *LIX. §. 31.* Papa Benedictus IX. fuisset, & a Joanne Archipresbytero, postea Gregorio VI. hos vero Discipulos fuisse Gerberti alio nomine Silvestri II. qui suis maleficiis Romam infecisset. Notat totam Pontificum seriem incipiens a Silvestro, & nominat Joannem XVIII. qui mense quinto *LVII.* a suis veneno sublatus dicitur, Joannem XIX. qui vix uno anno sedit, Sergium

Calumniæ
 in S. Grego-
 rium VII.

Sæculum XI. gium IV. qui sedit annis tribus, Benedi-
 A.C. 1086. ctum VIII. Laicum, Alberici Tusculanen-

sis fratrem, qui anno Pontificatus undecimo obiit, ejus fratrem Joannem vigesimum Neophytum, cujus Pontificatus annorum duodecim fuit. His duobus fratribus successit eorum nepos Theophylactus, postquam ab obitu Gerberti Præceptoris sui anni viginti quinque effluxissent. Chronologiam hanc ideo refero, quia Scriptorem illius ætatis auctorem habet, quamvis non accurata esse videatur. Tum profequitur Benno: *Theophylactus Sacra Sede per vim usurpata præ cæteris carissimos habuit Laurentium, olim suum, cum Literis studeret, contubernalem, postea Archiepiscopum Amalpbitanum, & Joannem Gratianum Archipresbyterum. Sub idem tempus Hildebrandus, relicto suo monasterio, Archipresbytero & Laurentio Archiepiscopo se se addixit, & non eorum modo Discipulum, sed etiam imitatore studiosissimum exhibuit. Non nunquam, quando id e re sua fore credebat, commotis manicis scintillas ardentes excutiebat, quibus præstigiis simplex plebecula decepta virum sanctissimum putabat. Postremo ordinem Paparum a Gregorio VI. usque ad Gregorium VII. recenset, & dicit eorum sex intra annorum tredecim spatium a quodam Hildebrandi amico, nomine Gerardo*
Bra-

Brazut, Judæi filio, veneficio peremptos
fuisse. Hi Pontifices sex, qui toxico ne-
cati dicuntur, sunt Clemens II. Dama-
sus II. Leo IX. Victor II. Stephanus X.
Nicolaus II. quibus singulis tempus, quo
S. Sedem tenuerunt, apponit. Ceterum
omnino observandum, quod Benno nul-
lam Mathildis Comitissæ mentionem fa-
ciat, nec castissimos mores Gregorii Pa-
pæ inficiari audeat. (*)

Sæculum XI.
A. C. 1086.

§. XXVII.

Desiderius Abbas Papa eligitur.

Gregorio VII. ad meliorem vitam trans-
lato Episcopi, Cardinales, Laicique, *Chron. Cass.*
qui ei ad ultimum fidem servaverant, *III. c. 65.*
coiverunt ad consultandum de viro di-
gno,

(*) Hunc Bennonem procacissimum longe ta-
men impudentia superant non nulli Protestan-
tes & inter illos Guilielmus Cave, qui scribere
non erubuit in *Sæc. Hildebrand. p. 151.* Gre-
gorius, frequentibus in Italia Synodis habitis,
Clericis conjugium, seu (ut ipsius Aſſeclæ id vo-
care non erubuerunt) Concubinatum interdi-
xit; ipse interim veri concubinatus cum Mathil-
da Comitissa commissi non uno nomine suspen-
ditus ac passim accusatus. In his verbis impu-
dentia cum mendacijs de victoria certat. Nescio
quid sit, impudentem esse, si hoc non sit; nam
nullo argumento, nullo teste, Caveus atrocem
suspicionem probat.